

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

62
67

GENETHLIACON

Scriptum

ad

ILLVSTRIS-
SIMVM ET LAUDA-
TISSIMVM PRINCIPEM, AC DO-
minum, Dominum Ioannem Georgium
Principem Anhaltinum, &c. super ipsius
celsitudini recens nata filiola in-
clytâ generosissi-
mâ, &c,

Autor

*Henrico ab Eichen, Equite
Anhaltino.*

SERVESTAE.

Typis haredum Bonaventura Fabri,

Anno 1598.

*f. 62
An. Christoph
de...*

50

GENEALOGIA
 SIMONIS ET JAVDAE
 PATER DOMINI IESU CHRISTI
 SECUNDUM MATTHEUM
 CAPITULUM PRIMUM
 Iacobus abbas
 Anno 1598
 Typis Ludovici Bonaventurae
 In aedibus
 Anno 1598



GENETHLIACON.

Hlle ego qui thalamos quos Vrsus & illa Lerna
lunxerunt, patriæ ostendi, nunc voluere cunas
Incipio, sic vrget opus: concurrite Musæ
Musæ noster amor concurrite, & omnia vestra
In pectus conferte meum, stat dicere plantam,
Plantam nempe nouam, qua non formosior vlla
Planta stat Ascaniæ, quæ sic bene vernat in aruis.
Planta pusilla quidem, sed nec nullius odoris?
Parua puella quidem, sed nec sine dote puella:
Et si progeniem, si semina prima requiras
Maxima, quæ mentis quæ corporis incluta donis
Exuperet priscâ celebratas laude puellas.
Auribus ô gratam famam, qua nulla per Vrsum
Gratior, ô gratos infantis ab Vbere dulci
Vagitus, risusque adeo secla ista decentes,
Saluete ô fausti natâ saluete parentes?
Hoc opus æthereum est, nec plus maiusue Ichoua
Conferet in thalamum, stat res humana, vigentque
Prole virum species, hac morte renascimur ipsa,
Hæc cauet interitus & magnum sustinet orbem
Id Graij videre viri, qui pignore plenis
Æs dederunt ingens: steriles ridebat, & vsq;
Fugit Apella viros. Quid enim sine prole maritus?
Quid sine prole torus tristis si hunc forte nouerca
Fascinet, atque habeat crebras, torus impius iras.
At nullæ hîc iræ, sed pax regit aurea mentes.
Salue nata recens, salue noua vita parentum:
Ecce tuo exortu nouitas sese exerit anni,
Ver grauidum flore est, grauida est domus Ascana prole:
Vere nouo Deus orbis opus cumq; orbe creauit
Omnia,

Omnia, vere nouo nostris in finibus vrsam
Nunc creat, atque Vrsam largè beat: ô bona veris
Tempora, ô verum rerum verisque colorem.
Salue nata recens, salue noua vita parentum
Is Deus is genitor qui te modo matris ab aluo
Excepit, vitamque dedit cum millibus instat
Ætheris alitibus: viden' vt cunabula circum
Instauret chorus iste choros, quem blanda sequuntur
Numina, tres charites, plenis fremit aura Choræis.
Salue nata recens, salue noua vita parentum:
En tuus hic pater est, atque hæc tua candida mater,
Illustres animæ, quas aurea protulit ætas.
Nanque quis Alcaniam, quis Rhæni nesciat oras?
Quæ Domina hæc nostra, Domino quis notior Vrsos?
Cui pia religio, cui nescia quæ so duorum
Cana fides, & vera pij concordia nexus?
Auspicijs horum cessant Idola, nec vsquam
Fictitius Deus apparet, suspensa per altum.
Tolluntur simulacra Deum, tolluntur abusus,
At contro melior nostro cadit hostia louæ.
Et dubitant homines hæc credere, & æthere natam
Hanc formam & normam Fani, finemque profani
Mente probasse pia: furor hic, hic error & horror
A fastiditis desurgit nempe Camænis.
Has qui fastidit, quid religionis habebit?
Has qui fastidit, fit bardus brutus, & excors.
Barbarus &, meritas luit hæc despectio pœnas,
Ergo quid vsque adeo miraris, & inscius hæres,
Cur tot in Heroum numero præcellat, & vnus
Spectetur, laurique decus mereatur Anhaltus?
Cur illis fœcunda domus, nec desinat illis
Esse domus, prolesque recens, & fertilis vxor?
Credite germani, germano credite vati.

Qui

Qui vero, verboq; Dei qui limina Christo
Laxat ouans, fidensque, graui nil cardine motus
Hunc verum, rectumque beant, huic gratia Diuum
Huius & alterius confert amplissima vitæ
Munera, nam pietas messis ditissima rerum est.
O me foelicem, cui talia secla videre
Contigit, & tali sub principe viuere vitam,
Quo duce vera suum coelo caput extulit vsque
Relligio & nostris redijt pax aurea terris.
O fortunatam tanto de principe natam :
O faustam tanto natam te patre puellam :
Magna parata tibi, tibi nec maiora parari
Posse puta; non squilla rosam non carduus vuam
Gignit, at immensos aquilæ dant nixibus ortus.
Sanguine tu claro descendis, & illius omnis
Indita pectoribus virtus te ducit, vt olim
Et patris & matris vestigia sancta sequaris.
Ipsa suis genitrix dum te complectitur vlnis,
Bafia dum libat vim magnam inspirat, & ingens
Porrigit auxilium, naturam & in omnibus æquat.
Auguror ipsa tuis matrem virtutibus æques,
Ipsa tua celebres vinctes virtute puellas,
Illarumque ipsis acquires nomina rebus
Siue Fides lubeat, seu Spes, Carharinaq; dici
Seu preciosa velis nunc Margaris esse parentum,
Seu Blanda, aut gratum spirans Rosa dulcis odorem,
His stupefacta super, tunc in te vertet ocellos
Principis aula potens, in te sua diriget omnis
Lumina foemineus chorus, & narrabitur illis
Fama tui, narrabit eam, mirabitur illam
Patria prona, sibi quo non præstantius abs te
Exemplum petere & mores hausisse decentes
Ipse ego spectatum venturus ad æthera tollam

Clamo.



Clamorem festum: salve salve optima virgo,
Et loca prima pias Heroïdas inter habeto.
Mox aderunt tibi mille proci qui laude beati
Nominis & pulchri stimulatî nomine vultus
Concipient æstus, teq; in sua fœdera poscent.
Hos inter tibi iunge virum, qui à matre probetur,
Quem Pater ipse velit, fideiq; nec absona credat.
Hunc tibi iunge virum, sic per te verus læsu
Latius extendetur honos, sic crescet olympus,
Cresce puella recens, atq; his fœlicibus orta
Auspicijs, concepta tui præfagia vatis
Firma para, spes pasce meas, spes pasce piorum
Et Patris & Patriæ, & quæ pars bona Sanguinis in te
Collocat, exupera, supera spem matris vt illi
Sis decus, & quæ longa sibi fastidia menses
Attulerunt, nihil esse putet, vox missa resultet,
Hoc decus hanc natam, soli hæc mihi gaudia seruo.
At tu cara, graui mater defuncta labore
Hæc tua longæuos non gaudia differ in annos,
Nunc lætis opus est animis; tu paruula matrem
Lætitia perfunde noua, sic omnis amaro
Qui fuit in partu, te prole peribit amaror,
Perge tuo risu, perge isto murmure linguæ.
Perge, graui mater partu respirat, & omnem
Qui fuit in partu nuper, fletumque metumque
Deponit, lapsæ redeunt in pristina vires,
Nec mora collectis animis pia cura resurgit
Pignoris, ah prolem sacris ait indite lymphis
Indite prolem vndis, plus plusq; his vocibus instat
Nec prius absistit, quam Mystra hanc flumine viuo
Abluerit, nostræ sic exigit ordo salutis.
Stant circum Baptisma Duces, precibusq; fatigant
Numina, vbi sanctum insinuat se Numen in artus.

Abster-

Abstergitque nefas, transuersaque pectora vertit:
Applicat inde sibi mox nata renata salutem,
At pater ipse simul regali splendida pompâ,
Instaurat, mediisque parat, conuiuia tectis.
Nec minus & proceres per limina læta frequentes
Conueniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Fit plausus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria cantores, pulsantur tympana & acta
Pollice chorda sonat, varij instrumentaque cantus
Percellunt hilares mira dulcedine sensus.
Ingeminat plausus procerum chorus, & data condit
Fercula colloquiis licitisque ad gaudia poclis,
Multa super nata rogans, patre Ascane nata,
Nunc quibus hæc horis venisset lucis in oras,
Nunc qui tunc lunæ positus, cælique potestas.
Hic pater Ascanius matrem natamque poposcit
Impleuitque mero pateram cunctisque propinat
Lætus prole super, magna tum mente profatur.
Hos mihi conuiuisque meis Ioua ô Pater haustus
Saluos esse velis, ipse & conuiuia venito.
Et vos ô proceres pocla hæc haurite lubentes,
Hæc quæ pocla bibo, natæ testentur amorem:
Dixit, & in natam faciles conuertit ocellos,
Dein matri dabit ingeminans mirantur amorem,
Mirantur patrios animos & prolis amica
Lumina, mirantur similes matri omnia vultus,
Illustres Domini, natæ sua quisque parati
Munera conferre atque animos aperire benignos.
Ipse Palatinus DAPIFER donum offeret ingens
Post alij proceres: plenis stat mensa metallis.
Crateras magnos alij gemmisque nitentes
Depromunt pateras, puri pars æris aceruum
Protulit in medium: quiuis sua munera confert

Munera

Munera principibus bene conuenientia natis
Interea nec rura silent nec proxima campis
Oppida, latitiae sed motus percipit omnis
Agricola, & ciues varios dant pectore plausus,
Et pia prole super fundant sua munera vota.
At tuus hic vates viuis tua nomina chartis
Inscribit, veroque tibi pro munere confert
Viuares hederas, immortalesque Amaranthos,
Et semper viridem brumæ per frigus Acanthum.
His cunis decus adde tuis, tu dona referua,
Donum tunc melius, cum Sponfa vocare, feremus.

FINIS.



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808




nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





B.I.G.

Farbkarte #13

GENETHLIACON
Scriptum
ad
ILLVSTRIS-
SIMVM ET LAUDA-
TISSIMVM PRINCIPEM, AC DO-
minum, Dominum Ioannem Georgium
Principem Anhaltinum, &c. super ipsius
celsitudini recens nata filiola in-
clytâ generosissi-
mâ, &c,
Autor
*Henrico ab Eichen, Equite
Anhaltino.*

SERVESTAE.
*Typis hæredum Bonaventura Fabri,
Anno 1598.*

62
67

*f. 62 verso
An. Christoph
de Wittenberg*

